

LVDOV. CAELIVS RHODIGINVS

LECTT. ANTIQQ. LIB. XXX. CAP. XXXIIII

Quoniam vero, ducente nos stilo ipso, in fabulosa de-
 lapsi sumus, subit nunc illud, vt testatum apud studio-
 fos velim, scienter, nec minus ornate, libellos id genus,
 quibus fabellis inuoluta memorentur, quaeque fidem non
 capiunt, posse *Palaephatiam* dici *papyrus*, ab auctore Pa-
 laephato, qui *Incredibilium*, id est τῶν Ἀπίστων, volumina
 concinnarit. Nec me fallit, Virgilium, dum ad Messalam
 scribit, *Palaephatiam papyrus* simpliciter pro libris eius
 auctoris videri accepisse, quando ita canit, *Quam mala mul-
 tiplici iuuenum quot septa caterua Dixerat, atque animo
 meretrix iactata, ferarum Infamem tali meritorum more
 fuisse, Docta Palaephatia testatur voce papyrus.* Fuit Pa-
 laephatus hic Parus patria, siue, vt alii tradunt, Prieneus.
 Vixit Artaxerxis tempore: *Incredibilium* libros quinque reli-
 quit, quos tamen ad Athenaeum quidam reiiciunt: in eorum
 primo, Scyllae mentio fit, quae circumuenire hospites con-
 fuerat, quam tamen astutia euaserit Vlysses. Atque inibi
 Sirenas quoque fuisse meretriculas, idem auctor prodit, quae
 deceperint nauigantes. Comperta nobis pleraque item alia,
 sunt digna, vt arbitror, scitu, quae suis libris complecteba-
 tur Palaephatus. Ea si subiecero, nimirum oleum et opera
 philologiae non perierit. Nam quod fabulosa tradit histo-
 ria, Phryxum cum Helle sorore fugientem nouercales insi-
 dias, visum esse per mare vehi ab ariete velleris aurei: qui-
 dam interpretantur, fuisse paratam fugienti nauem, cuius
 insigne aries foret. Palaephatus vero affirmat, Arietem vo-
 catum nutritorem, cuius sit opera et consilio liberatus. Non
 desunt, qui prodant, arietinis chartis fuisse librum, qui auri